



[Blank page with faint bleed-through from the reverse side]

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10



1671.

1. Rebelius, Balchasar: De regula juris naturalae
2. a. l. Diebold, Antonius: De enumeratione complicum.  
2 Exempl.
3. Traing, Paulus: De praesentia.
4. a. l. Tessen, Thomas Balchasar: De iure praecedentiae in  
genere. 2 Exempl.
5. Koch, Joh. Nicolaus: De iuris fictionibus
6. a. l. Mueg, Georg Fridericus: De pertinentiis.  
2 Exempl. 1718.
7. Muehlspfort, Johannes Justinus: Dissertatio juridica  
a. l. circa morbum et curam agrotorum
8. a. l. Prior, Johannes Philippus: De matrimonio ad uer-  
ganolicam contracto. . . . 2 Exempl.
9. Rebharius, Johannes: De stipulationibus
10. Rebharius, Johannes: De interpretatione juris obscuri
11. a. l. Rollwagen, Jacobus Fridericus: De comparatione literarum
12. Scheffer, Joh. Philippus: De Augustissimo iudicio Aulico. Caes.  
res

1671.

13<sup>9</sup> <sup>et</sup> Scherbaum, Johannes: De pariete communis ejus lingue  
jure. 2 Exempl. 1671.

14 Halburger, Joh. David: Jus militare Germanicum.

15 Dalberg, Eckhardus, lib. 6. a: Quaestiones... selectiores  
ex jure feudali de promptae

16 Dalberg, Fredericus Antonius, l. 6. a: De jurisdictione

17<sup>9</sup> <sup>et</sup> Stocerus, Gerardus, orator: De jure majestatis Imperatoris  
Romano-Germanici. 2 Exempl.

18 Stocerus, Gottfriedus: Analysis l. 3 Cod. de jure reipub.  
blica lib. VI.

19 Stocerus, Gottfriedus: De appellatione in criminalibus

20<sup>1</sup> <sup>et</sup> Thilen, Nicolaus: De unionibus ecclesiarum  
atque beneficiorum ecclesiasticorum. 2 Exempl.

u  
s  
g  
us  
8



167

139

14

15

16

17

18

19

20

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index of entries.

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index of entries.

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index of entries.

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index of entries.

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index of entries.

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index of entries.

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index of entries.











13216. XXIII.

72

Q. D. B. V.

23. 4

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

1671, 3.

DE

POENITENTIA,

QUAM

Divinâ Annuente Gratiâ

*Ex Decreto & Auctoritate*

MAGNIFICI ET AMPLIS-  
SIMI JURISCONSULTORUM  
ORDINIS

IN CELEBERRIMA ARGENTORATIENSIVM  
UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

*Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia*

*DOCTORALIA ritè consequendi*

*Placidæ Eruditorum Disquisitioni*

SOLENNITER exhibet

PAULUS DRAING, Hamburg.

*Ad d. 9. Mens. Januar.*

*Horis locoque consuetis.*



ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

ANNO M DC LXXI.



1123

1787  
ANNO DOMINI  
MCMDCXVII

DIVINAE ARITHMETICAE  
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
CANTONIS AROSAE  
PROFESSORIS  
FRANCISCO M. L. S. S.

PRO LICENTIA  
D. M. C. L. I. I.

...✠)3(✠...



IN NOMINE DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI.

Dissertationis Inauguralis

Academicæ

DE

POENITENTIA

Prooemium.




Quandoquidem in vitâ ci-  
vili cum hominibus ita cõ-  
paratum est, ut in agendis  
rebus, à scopo sibi proposito  
spe falsâ atque fallaci ali-  
quatenus aberrantes, illi-  
cò errorem ad animum revocent, & pro-  
prium factum, experienciâ rerum magistrâ  
satis comprobante, per voluntatem contra-  
riam infectum reddere summâ ope adnitan-  
tur, haud immemores, quod optimus sit por-  
tus pœnitenti mutatio consilij. Cic. in Orat.

A 2

Philipp.

Philipp. 12. non abs re fore putarunt Juris  
 Conditores, suadente equitate, inconstanti ho-  
 minum voluntati certos præfigere limites, ne  
 quis suæ mentis opinionem in alterius detri-  
 mentum, quandocunque ipsi libuerit, dete-  
 stari valeat. l. nemo. 75. ff. de R. J. Post-  
 quam igitur haud pridem ordinariis exa-  
 minibus in Illustri hac Argentinensi ritè ex-  
 actis collata mihi Licentia pro summis in  
 utroque Jure Honoribus obtinendis Disputa-  
 tionem Inauguralem habendi; ex aliis ob ocu-  
 los versantibus materiis præsentem hanc de  
 POENITENTIA ob temporis angusti-  
 as, quibus circumscriptus sum. hac vice tan-  
 tum summo, quod ajunt, digito attingere, atq;  
 divinâ favente clementiâ juxta causarum se-  
 riem breviter exponere placuit. Deus Ter Opt.  
 Max. conatibus meis porro aspiret, faveat  
 & ut eum, quem destinavi portum, feli-  
 citer appellere valeam, clementer  
 largiatur.

THESIS



## THESIS

### I.

**O**Mnem nostram cognitionem non minùs circa *Introductio.*  
 verba, quàm circa res versari cum in propatulo  
 sit, nobis præsentis disputatione de Pœnitentiâ sub ope  
 Christi acturis haud inconueniens visum est, si statim  
 à qualitate vocis eam exordiamur, atque, cùm utili-  
 tas hujus materiæ satis se ostendat, & major sit, quàm  
 ut à nobis dignè commendari possit, in genere de Pœ-  
 nitentiâ quædam, brevibus licet, prælibemus, ante-  
 quam ipsi rei tractandæ accingamur.

### II.

Quod concernit Pœnitentiæ Etymologiam, va- *Etymologia.*  
 rii variè eam deducunt. Alii Pœnitentiam à *pœnâ* &  
*tenere* dictam arbitrantur, cùm semper in se ulciscen-  
 do puniat, quod peccando commisit; ut ita pœnam  
 tenere nihil aliud sit, quàm vindicare quod commi-  
 sisse dolet. *Augustin. in cap. Pœnitentia. 4. dist. 3. de*  
*Pœnit.* Alii eam derivari autumant à *penè* & *penuriâ*,  
 sic ut Pœnitentia idem sit quod indigentia; *Aul. Gell.*  
*noct. atticar. lib. 17. cap. 1.* Alii verò ad crebriorem  
 hujus vocabuli vim & usum respicientes existimant,  
 Pœnitentiæ etymon petiitum esse à *ponè* & *tenere*, quod  
 est consilium posterius tenere. Nam tunc pœnite-  
 re solemus inquit *Gell. d. l. cùm*, quæ ipsi fecimus, aut  
 quæ de nostrâ voluntate nostroque consilio facta sunt,  
 ea nobis post displicere incipiunt, sententiamque in  
 his demutamus.

### III.

## III.

*Homonymia.*

Etymologiam insequitur Pœnitentiæ Homonymia, certissima errorum genitrix, in Jure nostro civili probè investiganda. Sciendum itaque est Conditio-ribus Juris Civilis vocabulum istud tribus potissimum modis accipi. Primò generaliter significat quamcunque voluntatis & propositi mutationem Juris viribus licet destitutam. *l. si judex. 41. ff. de minorib. l. si in lege. 24. §. colonus. 4. ff. locat. conduct. l. si quis. 25. §. sed si. 14. ff. de acquir. l. omit. her. l. quamvis eum. 39. C. de transact. l. non idcirco. 12. C. de contrah. empt.* Secundò nonnihil specialius designat efficacem negotii prioris revocationem non ex nudâ voluntate contrariâ, sed sufficienti & legibus approbatâ causâ factam. Talis est in *l. cum profitearis. 4. C. de revocand. donat.* ubi asseritur, quod donatio inter vivos solâ Pœnitentiâ revocari non possit, benè autem ob causam expressam. *l. donationes. 9. C. d. t. veluti supervenientiam liberorum l. si unquam. 8. C. eod. ingratitude donatarii. l. generaliter. 10. alleg. tit.* Tertiò specialiter denotat validam actus aut facti alicujus circa jus & justum versantis retractationem, ex solâ voluntatis mutatione ac gesti displicentiâ absque ullius rationis allegatione ortam: quo sensu accipitur in *l. 3. §. 2. & 3. l. si pecuniam. 5. pr. & seqq. §§. ff. de cond. caus. dat. caus. non seq. l. cum hic. 32. §. 2. ff. de donat. inter. vir. & uxor. l. quod si. 4. ff. de adim. vel transfer. legat. vel fideicom. l. qui mortis. 30. ff. de mort. caus. donat. l. fideicommissum. 27. C. de fideicom.* Secus sumitur in Jure Canonico; verùm, quia paulò alieniores à nostro

stro



stro proposito sunt illæ acceptiones, quid Jure civili vocabulum istud significet, impræsentiarum observasse sufficiat.

IV.

Post Homonymiam nobis occurrit vocis Pœnitentiæ *Synonymia*, ob varietatem nominum, quibus in jure gaudet, consideratione digna. Etenim nonnunquam vocatur contraria voluntas. §. hoc amplius. 4. quib. mod. toll. oblig. mutata voluntas. l. si pœnituit. 7. ff. de divort. & repud. mutatum consilium. l. quis sit. 17. §. 1. ff. de AEdil. Edict. commutationis arbitrium. l. omnium. 19. C. de testament. Pœnitudo. Nov. 87. cap. 1. Et loco verbi Pœnitere alibi invenitur sententiam mutare. l. statu II. in fin. ff. de leg. 2. obligationi renunciare. l. sicut. 5. C. de obl. & act. adversus conventionem venire. l. si quis. 29. C. de pact. voluntatem revocare. l. cum hic. 32. §. 4. ff. de donat. inter vir. & uxor. & passim.

V.

Haftenus de qualitate Nominis. Nunc ad rem Pœnitentiæque naturam accedimus, & sine ullâ in aliorum definitiones, cùm raræ sint, & vix inveniantur, inquisitione, hanc instituto nostro convenire putamus. *Pœnitentia* est contrariæ voluntatis actus, quo quis actum priorem à se ita gestum, ut ex eo alter nondum jus quæsitum habeat, lege consentiente retractat. Quam ipsam, cùm è speciali materiæ hujus tractatione majorem lucem acceptura sit, expositione prolixiori illustrare haud opus esse arbitramur.

VI.



VI.

Divisio.

1.

Propositâ definitione ordo nunc suggerit ad Pœnitentiæ divisiones in Jure Justiniano fundatas ut progrediamur. 1. Dividitur in causalem sive conditionatam, & simplicem sive arbitrariam. Causalis est, per quam actus de jure efficax ob justam & legibus approbatam causam revocatur: Talis est in *l. ei apud. s. §. 2. ff. de pos. ubi de sequestro dicitur. Plerumque non est permittendum officium, quod semel suscepit contra legem depositionis deponere, nisi justissima causa intervenerit. fac. l. ante litem. 16. l. post litem. 17. ff. de procurat. & defensor. l. filiusfamilias. 8. §. 3. ff. eod. §. recte. 9. & §. mandatum. II. Inst. de mandat. Arbitraria est, quâ actus de jure validus ob nudam Pœnitentis voluntatem ita retractatur, ut agens suæ Pœnitentiæ causam probare non obligetur. Talis est in ademptione legatorum per nudam voluntatem facta. *l. 3. §. non solum. II. ff. de adim. vel transf. leg. In donationibus mortis causa. §. 1. Instit. de donat. & aliis negotiis infra potissimum exponendis. 2. Dispescitur in expressam & tacitam. Expressa est, quâ mutatio voluntatis expressis verbis exponitur, ut si quis verbis vel ore prolatis vel in scripturam redactis testetur, se legatum illud rursus adimere, quod alicui dederat. *pr. Instit. de adempt. legat. & transl. l. 2. ff. de adim. vel transf. leg. Tacita est, quæ re ipsâ sine verbis fit, & ex præsumtâ agentis voluntate elicitur, ut si rupto priore testamento posterius, quod jure perfectum, condat. §. 2. Inst. quib. mod. testam. inf. l. si quis. 29. ff. ad Sctum Trebell. debitum quod legavit, postmodum à debitore exigat. §. tam autem. 21. Inst. de leg. & rem***

2.

& rem legatam nullâ necessitate coactus alienet. Tum enim animus adimendi præsumitur, *l. rem legatam. 18. ff. de adim. vel transf. leg. 3.* Distinguitur in judicialem & extrajudicialem. Judicialis est, quâ actus ad iudicium vel processum spectans revocatur; atque hæc est vel iudicis. *l. quod iussit. 14. ff. de re jud. l. pœnam. 15. C. de pœn. vel actoris. l. quamvis. 11. ff. de in jus. voc. l. 3. C. de plus petit. vel rei. l. de etate. 11. §. Celsus. 12. ff. de interrogat. in jur. fac.* Extrajudicialis est, quâ actus & negotium ad iudicium vel processum non pertinens retractatur. Tantùm de Pœnitentiâ in genere. Restat, ut eam ratione causarum ordine nunc & in specie tractemus.

3.

## VII.

Causa efficiens Pœnitentiæ proxima est ipsa hominis voluntas, quæ naturâ reputatur libera, & spontaneo motu ita agit circa objectum, quod intellectus ei exhibet, ut vel illud tanquam bonum appetat, vel tanquam malum fugiat. Cùm verò in dijudicandis rebus humanis intellectus sæpissimè aberret, & voluntas inconsultò feratur in id, quod minus bonum est, imò rationi recta monenti temerè aliquando reluctetur; hinc in animo hominis, qui habet potentiam naturalem consilium mutandi. *Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap. 11. num. 2.* perspecto errore existit quædam mutatio, atque sic oritur Pœnitentia per actus exteriores declaranda. Causa efficiens remota est jus civile Romanum. Nam, cùm sæpè homines arreptâ hinc inde causâ eâque frivolâ pœnitentiam exercere, atque in alterius præjudicium prius factum evertere niterentur, jus civile Romanum facultatem illam pœniten-

Causa efficiens proxima;

Remota;

B

di li-

di liberam aliquatenus circumscripsit, & in plerisque negotiis certum pœnitendi modum constituit.

VIII.

Causa mate-  
rials subje-  
ctiva  
à quâ

vel Naturâ  
excluditur

1.

Infans;

2.

Furiosus;

3.

Mente ca-  
pius;

4.

Ebrius;

Sequitur causa materialis, quæ dividitur, quate-  
nus est circa juris articulos tractandos occupata, in  
subjectivam & objectivam. Illa personas, quibus licet  
pœnitere vel non; hæc verò res, circa quas pœnitens  
hominis animus versatur, exhibet. Ex personarum  
pœnitentium classe arcentur omnes, qui actum juris  
efficaciter gerere impediuntur, vel ab ipsâ naturâ vel  
ex dispositione legis. *arg. l. 3. ff. de R. I.* Naturâ ob de-  
fectum intellectus & voluntatis prohibetur. 1. Infans;  
qui hic definitur secundum desinentis infantia terminum,  
minor septem annis. *l. si infanti. 18. in pr. C. de jure  
delib.* adeoque intellectu, ac inde promanente consen-  
su destitutus. *§. pupillus. 9. Inst. de inutil. stipul. l. in sponsali-  
bus. 14. ff. de sponsal.* 2. Furiosus; non qui dilucida furoris  
intervalla habet. *arg. §. 1. vers. furiosi. Inst. quib. non est  
permiss. fac. test. l. 2. C. de contrah. empt. l. cum Prætor. 12. §. 1.  
ff. de judic.* sed continuâ quadam animi rabie agitatur.  
*l. in negotiis. 5. ff. de R. I.* quoniam in eo animus deest.  
*l. 2. ff. de procur. actum rei non intelligit. §. furiosus. Inst.  
de inutil. stipul. menteque caret. §. 1. Inst. quib. non est  
permiss. fac. testam. & voluntate est privatus. l. furiosi 40.  
ff. de R. I.* 3. Mente captus; qui licet à furioso in hoc  
differat, ut tranquillâ mentis alienatione laboret, &  
plerumque ab ipso separetur, ut in *l. diem. 27. §. coram  
autem. 5. ff. de recept. qui arbitr. recep. l. 2. ff. de inoffic. te-  
stam. l. sancimus. 28. §. 1. C. de administrat. tut.* tamen in  
eo ipsi est proximus, ut nihil quoque intelligere cen-  
seatur. *arg. l. si furiosi. 25. C. de nupt.* 4. Ebrius summè  
talis;

talis; nam cum ejusmodi ebrietas mentis exilium inducat. *cap. à crapula. 14. X. de vit. & honest. clericor.* & propterea quid agat, quidve loquatur, non intelligat. *can. sane discimus. caus. 15. q. 1.* hinc sanè cum furioso, cui assimilatur. *c. venter. 5. distinct. 35. c. vinolentum. 5. ibid.* ex Pœnitentium ordine erit removendus. 5. Dormiens, quia usu rationis caret, functionibus animæ quiescentibus. *l. coram Titio. 209 ff. de V. S. l. 1. Dormiens.* §. 3. ff. de acquir. vel amitt. poss. ac mortuo similis est juxta illud Virgilii lib. 6. *AEneid.*

Dulcis & alta quies placidæq; simillima morti. Unde si quis dormiens phantasiæ motu impulsus negotium aliquod retractaret, sibi tamen nullum faceret præjudicium.

## IX.

Ex dispositione juris à subjecto Pœnitentiæ re-  
moventur, quibus illa interdicit vel certos tantum, vel  
verò planè nullos expedire juris actus. Primo casu im-  
peditur 1. Pupillus adulto proximus. Nam etsi hic  
absq; tutoris autoritate alios sibi adstringendo condi-  
tionem suam meliorem facere queat. *pr. Inst. de auctor. tutor. l. contra juris. 28. ff. de pact. ut vel sibi quid dari. l. ob-*  
*ligari. 9. ff. de auctor. & cons. tut. aut remitti stipuletur. l. 2.*  
*ff. de accept. non tamen ei licebit citra expressam tutoris*  
*approbationē res suas alienare, vel contrahendo se aliis*  
*obligare. §. fin. Inst. quib. alien. lic. vel non. l. pupillus. 11. ff.*  
*de acq. rer. dom. l. 2. C. de auct. præst.* Si igitur pupillo non  
competit facultas ejusmodi actus efficaciter gerendi,  
eò quòd regulariter de jure nō subsistant. *l. quod pupillus.*  
*41. ff. de cond. indeb. nec eidem licentia revocandi pa-*  
*tebit. l. pupillus. 189. ff. de R. 1.* 2. Minor; qui aut ha-  
bet

vel Lege  
prohibetur

1.

Pupillus pu-  
bertati pro-  
ximus;

2.

Minor;

B 2

bet

bet curatorem, aut non habet; ille vel bona in obligationem deducit; vel personam tantum. Priori casu, quia actus sine consensu curatoris celebratus ipso jure nullus est. *l. 3. C. de in integr. rest.* in eum quoque poenitentia cadere nequit. Posteriori verò casu, cum minor actus liberè suscipiat. *arg. l. in copulandis. 8. C. de nupt.* à poenitentia excludi non debet. Minor autem curatorem non habens firmiter quidem, lege haud refragante, extra iudicium plurima gerit negotia. *arg. §. 1. Inst. quib. non est permiff. l. à quâ. 5. ff. qui testam. fac. poss. l. obligari. 43. ff. de O. & A.* sed læsus juvatur beneficio restitutionis in integrum. *l. 1. §. 1. l. minor. 40. l. minor. 48. ff. de minor.* per quod poenitentiam exercere & in actum deducere valet. 3. Prodigus iuridicè talis; Quamvis enim stipulando ut pupillus, cui in hoc æquiparatur. *l. certi. 9. §. sed & si. 7. ff. de reb. cred. sibi acquirat. l. is cui bonis. 6. ff. de V. O.* tamen ob defectum voluntatis & vitium animi æquè ac furiosus nullum omninò negotium contrahere. *l. Iulianus. 10. pr. ff. de curat. furios. &* quod indè fluit, nullam quoque poenitentiam agere potest. *per text. in l. 3. ff. de R. I.*

3.  
Prodigus;

X.

Altero casu arcetur 4. Servus. Nam, quod jus civile attinet, pro nullo habetur. *l. quod attinet. 32. ff. de R. I. quadrupedibus exæquatur. l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil.* & voluntatem habere non creditur; quia obsequitur imperio domini. *l. velle. 4. ff. de R. I.* Sed cum servitus jam pridem in his & plerisque Christiani orbis provinciis exolevit, non est, cur huic rei diu immoremur. 5. Monachus. Etenim & hic nec velle nec nolle habet. *c. religiosi. 5. de sepult. in 6. c. fin. de testam. in 6.*  
quia

4.  
Servus;

5.  
Monachus;

quia in ordinationis susceptione voluntati propriae renuntiavit, & imperio superioris, à cuius voluntate dependet, se subiecit. *c. si religiosus. 27. de elect. & elect. potest. in 6.*

## XI.

Relictis personis methodi ratio jam suadet, ut ad causam materialem objectivam oculos mentemque reflectamus. Quod priusquam fiat, fundamenti loco annotare lubet; quod ratione objecti necesse sit. 1. ut præcedat aliquod negotium ita celebratum, ut vel ab initio subsistat, vel ex legis definitione tractu temporis convalidetur. *l. cum hic. 32. §. 3. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. donationes. 25. C. eod.* Nam ubi nil quicquam gestum, aut gestum quidem, sed lege prohibente, ibi nec pœnitentia adhiberi posse videtur. 2. ut negotium illud prius à revocante sit celebratum; quia actus alienus sub voluntatis nostræ dispositionem eâ ratione non cadit, ut à nobis per pœnitentiam retractari queat. *vid. d. l. 32. §. 4. ff. de donat. inter. vir. & uxor.* 3. ut negotium, quod pœnitens gessit, sit tale, ex quo alter nondum sibi aliquod jus acquisivit. Hoc enim si exinde consequutus est, statim ejus voluntas constringitur, ut à priori facto haud amplius resilire. *l. in commo- dato. 17. §. 3. ff. commodat. l. sicut. 5. C. d. O. & A. l. nemo. 75. ff. de R. l. alterique jus quæsitum invito auferre possit. l. id quod. II. ff. eod.*

Causa mate-  
riale obje-  
ctiva;

## XII.

Quibus præmissis aggredimur ipsum pœnitentiæ objectum, quod constituunt actus tam judiciales, quam extrajudiciales, liberæ dispositioni voluntatis

B 3

nostræ

Quò pertinet  
inter Reales  
Contractus

1.  
Mutuum;

nostræ subjecti. Horum alii sunt liciti, alii illiciti. Nos principaliter acturi de licitis, illicitos in aliud tempus differimus. Illi vel dicuntur actus inter vivos; vel ultimæ voluntates. De singulis breviter. Ad actus inter vivos imprimis referuntur contractus; hi sunt vel Nominati vel Innominati. Inter nominatos, qui consistunt, occurrit 1. Mutuum; in quo mutuanti creditum ex pœnitiã statim exigere non licet, etiam si alter ad solvendum statim obligatus sit. *arg. l. promissor. 21. §. 1. ff. de const. pec. cum inter pecuniã acceptam, & eam restituendam tantum temporis intervenire debeat, quantum arbitrio judicis ad eam in necessarium usum erogandam sufficere possit. l. si ut certo. 5. §. 2. ff. commod. ne illud inutile existat, atque beneficio suo accipiens frustretur. l. in commodato. 17. §. 3. in fin. d. t.* Quod secus est in mutuataro, cui licet pro lubitu pœnitere, & quod mutuò accepit, etiã ante tempus, quod solutioni est appositum, reddere. *l. quod certa. 70. ff. solut. & liberat. l. si stipulatio. 38. §. inter incertam. 16. ff. de V. O. nisi dies mutui solvendi in favorem mutuantis est adjectus. arg. l. la volenus. 15. ff. de ann. leg.*

XIII.

2.  
Commodatum;

2. Commodatum; In quo licet commodatarius pro lubitu ex pœnitiã rem commodatam reddere possit, per *d. l. in commodato. 17. §. 3. ff. commodati.* attamen commodanti non antè jus pœnitendi conceditur, quàm finitum sit tempus utendi præscriptum: ne commodatario adimatur illud jus, quod circa rem commodato acceptam ei est quæsitum. *d. l. 17. §. 3. nisi forsan ipse commodans re suã opus habeat. arg. l. 3. C. de loc. & cond.* Nam tùm in contractu hoc gratuito non præ-



... 15 (3:3) ...

præsuntur adeò liberalis fuisse, ut officeret propriis necessitatibus. Et ita commodatum à precario differt, quod naturâ suâ mentione temporis modive ita datur, ut quodocunq; ei, qui precario concessit, libuerit, revocari possit, *l. 1. ff. de precar.* etiamsi convenerit, cùm daretur precario, ne ante certum tempus repeteretur. Potest enim mutare voluntatem & non expectato termino revocare precarium. *l. 2. ff. eod.*

...  
...  
...  
...  
...

XIV.

3. Depositum; Cujus natura cùm sit, ut quocunq; tempore is, qui deposuit, rem depositam repositat, ea restituatur. *l. 1. §. est autem. 22 ff. deposit.* non prohibendus est deponens pro arbitrio revocare contractum, & mutare suam voluntatem, etiam antetempus pacto fortè constitutum. *per d. l. 1. §. si deposuero. 45. & §. proinde. 46.* quia ejusmodi pactum meritò nihil operatur, cùm totum hoc negotium solius deponentis gratiâ celebretur. At ex contrario depositarium, quando certum tempus depositi reddendi constitutum est, non potest poenitere, nec is rem restituere; cùm enim non sine incommodo deponentis hoc futurum sit officium, quod semel depositarius suscepit, contra legem contractus deponere non valet, nisi justissima causa intervenerit. *l. ei apud quem. 5. ff. depos.*

3.  
Depositum

XV.

4. Pignus; in quo ratione debitoris non est poenitentiae locus; quia creditor in re ob crediti restituendi majorem securitatem sibi concessâ, tale jus quaesivit, quod ei à debitore per nudam poenitentiam auferri nequit. *vid. Nov. 112. c. 1.* Secus illud est in creditore,

4.  
Pignus



tore, cui suum jus, quod in re alienâ consequutus est, remittere licet. *l. major. 23. C. de pign. l. fin. C. de remiss. pign.*

XVI.

Inter consensuales contractus  
I.  
Emptio & venditio;

Tantum de contractibus nominatis realibus. Per-  
gimus jam ad consensuales, ubi occurrit. I. Emptio  
& venditio, quæ si est perfecta, non juvabit venditorem  
pœnitentia, si emptor à contractu resilire nolit. Frustrâ  
itidem dissentiet emptor, si ex suâ parte venditor con-  
tractum implere desideret. *vid. l. non idcirco. 12. C. de  
contrah. empt. & vend. l. 3. C. de resc. vend. pr. Inst. de obl.  
ex cons.* Nam re haud amplius integrâ pœnitentiæ  
locus non datur. *l. 2. C. quand. lic. ab empt. & vend. reced.*  
ne quidem sub arrhæ jacturâ, & solutione pœnitentia-  
lis multæ, cum, quæ probando ac confirmando con-  
tractui accedere solent. *l. quod sæpè. 35. in pr. ff. de contr.  
empt. præter contrahentium opinionem contrarium  
operari, & ad dissolvendum ac infirmandum contra-  
ctum non valere debeant. arg. l. legata. 19. in pr. ff. de  
legat. 1. l. quod favore. 6. C. de LL.* Si verò emptionis &  
venditionis contractus nondum est perfectus, sed per  
scripturam adhuc celebrandus; tam diu pœnitentiæ  
locus est, donec ea legitimo modo super emptione &  
venditione confecta, & omnibus suis partibus absolu-  
ta est. *pr. Inst. de empt. & vend. l. contractus. 17. C. de fid.  
instrum.* Ita enim responderunt Scabini Lipsi. in causa  
Joh. Albin. zu Quersfurt. Mens. Febr. 1627. teste Carpz.  
*part. 2. const. 33. def. 12.* Verum hoc ita demum, nisi quid  
arrharum nomine datum fuerit vel de certâ pœniten-  
tiæ multâ inter partes convenerit. *Matt. Berlich. dec. 44.*  
nam tunc arrhis intercedentibus vel multâ pœniten-  
tiæ interpositâ hoc tacitè agi videtur, ut si emptor re-  
cuset

cusset implere contractum, amittat arrhas, quas dedit, si verò venditor recuset, teneatur in duplum. *per d. l. 17.*

## XVII.

2. Locatio & conductio. De quâ, cùm emptioni & venditioni sit proxima. *pr. Inst. de locat.* paucis saltem hic tenendum, quòd alterutro contrahentium invito iste contractus simul ac perfectionem suam ritè nactus est, ex pœnitentiâ dissolvi non possit. *l. si de fundo. 15. C. de locat. & passim.* quamprimùm enim locatio & conductio legitimè celebrata est, statim partibus acquiritur jus exigendi id, quod vel ex naturâ contractus debetur, vel in ipsum contractum est deductum; quod alteri ab altero facilè auferri non debet. *vid. l. 3. C. de locat. l. sicut. 5. C. d. O. & A.*

2.  
Locatio &  
conductio;

## XVIII.

3. Societas; quæ solvitur pœnitentiâ, & hac vel mutuâ non tantùm ante. *arg. §. ult. Inst. quib. mod. toll. obl.* sed etiâ post realiter factam communionem. *§. 4. Inst. de societ. vel alterutrius socii. l. actione. 65. §. 3. ff. pro soc. contra naturam aliorum contractuum. d. l. sicut. 5. C. de O. & A.* Cujus ratio est, quòd nemo in communiõne vel societate invitus manere compellatur. *l. in communiõne. 5. C. comm. divid. cùm communiõ rixas & discordias plerumque excitare soleat. l. cum pater. 77. §. dulcissimis. 20. ff. de leg. 2.* Utraque fit 1. verbis. *l. societatem. 4. §. 1. ff. pro soc.* 2. factis; cùm unusquisque sociorum sibi negotiatur. *l. itaque. 64. ff. eod. & ad distrahendam societatem actio pro socio instituitur. l. tamdiu. 5. C. d. t.* Quæ ab alterutro intervenit, in specie dicitur renunciatio. Hæc fit vel tempestivè ex

3.  
Societas;

C

justâ

justâ causâ absque calliditate, & est permiffa. *l. si conve-  
nerit. 14. l. sed & socius. 17. ff. d. t. vel intempestivè sine justâ  
causâ ex dolo ; & tunc quidem renunciationem ad-  
mittat socius necesse est, sed renuntians, quod interest,  
præstare, & si quod lucrum captavit, perinde ac duran-  
te societate socio omne illud communicare tenetur.  
d. §. 4. Inst. de soc. & l. 65. §. 3. 4. 6. ff. eod.*

XIX.

4. Mandatum. In quo pœnitentia, quæ ex parte  
Mandatum; mandantis revocatio. §. rectè. 9. l. de mand. ex parte man-  
datarii, renunciatio dicitur. §. mandatum. II. Inst. eod. ita  
habet locum, ut mandanti liceat non tantùm, quando  
res adhuc est integra. *l. si verò. 12. §. si mandavero. 16. ff.  
mand. sed & postquam fuerit affecta, mandatum revo-  
care, dummodò mandatarii non interfit. l. si mandem.  
15. ff. de re jud. Cujus enim est, mandati legem dare, ejus  
& revocare. Contrà verò si mandatarium pœnituerit,  
nō valet, nisi tempestivè renunciaret, id est ita, ut integra  
facultas mandatori conservetur, eandē rem equè com-  
modè explicandi. *l. si mandavero. 22. §. sicut. II. ff. eod. Man-  
datum enim non suscipere cuilibet liberum est, semel  
susceptum consummari oportet, aut tempestivè re in-  
tegrâ renunciari. d. §. II. Inst. l. t. Itaque si mandatarius  
susceptum mandatum non implevit, vel tempestivè  
renunciavit, tùm, nisi justa causa intercesserit. *l. sanè. 23.  
& seqq. ff. eod. tenetur in id, quod interest. d. l.***

XX.

5.  
Impropriè  
sponsalia.

5. Progredimur ad sponsalia; quæ licet contra-  
ctibus consensualibus propriè annumerari nequeant,  
attamen cùm ob consensum intervenientem valdè af-  
finia

finia ipsis videantur; forsàn non malè & hìc de iis erit dicendi locus. Sunt autem vulgò sponsalia vel de futuro, vel de præsenti. Illa non solùm contrariâ utriusque voluntate, sed unius etiam renunciatione tam de jure civili. *l. prout. 80. de sol. & liber. l. 1. l. 5. in fin. C. de spons. & arrh. spons. l. 2. C. de repud. l. 2. §. 2. ff. de divort.* quàm canonico, ex justâ & probabili causâ, vel post contracta sponsalia obortâ, vel ante dissimulatâ dissolvi possunt. *cap. 2. cap. adolescens. 32. X. de spons. cap. fin. X. de conjug. leprof.* Cæterùm ita, ut sponsus, si per eum steterit, quò minùs duceret, arrhas datas amittat; sponsa verò, si per ipsam steterit, quò minùs nuberet, duplicatas restituat. *d. l. 5. C. de spons. l. 3. ff. eod.* Hæc verò nec mutuo sponsi & sponsæ consensu, nec alterutrius pœnitentiâ dirimi possunt. *cap. si inter. 31. X. de spons. nisi justæ causæ ea dissolvi jubeant. Schneidvv. de divort. n. 44.*

## XXI.

Haftenus de contractibus nominatis tam reali- *Contractus*  
bus, quàm consensualibus. Jam accedimus ad contra- *Innominati.*  
ctus innominatos; quorum cum duo sint extrema, dari scilicet & fieri, alios esse dandi, alios faciendi asserimus. In innominatis, præsertim illis, qui obligationem dandi habent, semper pœnitendi libertas, quæ à *Grot. in lib. 2. de l. B. & P.* impunitas appellatur, ei, qui dedit, tamdiu conceditur; quamdiu ab altera parte implementum non fuerit sequutum. *l. dedi. 3. §. 2. de cond. caus. dat. caus. non seq. l. si liber. 9. C. eod.* Idquè nemini mirum videri debet, proptereà, quod is alterius causa aliquid præstando alterum sibi quidem rei acceptione obliget. *l. 4. C. de rerum permut.* ipse tamen alteri non adstringatur, utpote à quo nihil haftenus præ-

stitum est, quo æquum sit, dantem vicissim obligari. *vid. l. 5. §. 1. ff. de præscr. verb.* Quamvis autem illum, qui implevit, re integrâ rectè pœnitere possit, non tamen id accipienti est concessum; putà, si ille præscriptis verbis conventus, dicere velit, nolo implere, sed placet acceptum restituere. Is enim propter *συνάλλαγμα* & interpositum expressum consensum ad implendum est adstrictus. *Dr. D. Hahn. ad tit. de P. V. n. 2.* In aliis autem innominatis contractibus, qui obligationem facti continent, res aliter se habet; cum enim per naturam rerum impossibile sit, facta repeti & infecta fieri, satis patet, nisi ratione illius facti aliquid in adversarium èollatum sit, quatenus pœnitendi jus in iis exerceri queat. Hinc apparet, quo jure *Eudov. Molin. in LL. Rom.* pœnitentiam in contractibus innominatis admittentes invehat, quando *tr. 2. disp. 258. num. 9.* ita loquitur: *Possit summus Pontifex ac deberet abrogare eas leges, quæ in contractibus innominatis pœnitentiam admittunt, conceduntque repetitionem ejus, quod ex alterâ parte rite solutum est; sovent enim peccata, litesque multiplicant; tantum abest, ut eas minuant. Quia omnia etiam quæ de pacto nudo & vestito & contractibus innominatis subtiliter potius, quam utiliter de jure civili ab Ethnicis hominibus inventa atque introducta sunt, aboleri deberent &c.*

## XXII.

*Ultima voluntates.*

Dictum hucusquè de veris contractibus. Inquirendum jam ulterius esset, quando in quasi contractibus locus sit pœnitentiæ, vel non; verum temporis ratio nos jubet progredi ad ultimas voluntates; in quibus larga pœnitendi facultas testatoribus conciliata est, quod hominis voluntas ambulatoria reputetur ad supremum vitæ exitum. *l. quod si. 4. ff. de adm. vel transf. leg.* adeò, ut quovis tempore eum, qui promissit, se nolle priorem revocare voluntatem, pro arbitrio pœnitere possit.

possit. *l. si quis. 22. pr. ff. de leg. 3.* Sic igitur 1. Testa-  
mentum ex poenitentia toties revocari potest. *§. 2. Inst. quib. mod. test. infirm. l. sancimus. 27. C. de testam. l. 6. C. qui testam. fac. poss.* quoties testatori visum fuerit. *§. ex eo. 7. Inst. quib. mod. test. infirm. d. l. 4. ff. de adim. vel transf. leg. Fac. l. si quis. 3. §. fin. l. quod si. 4. eod. 2.* Do-  
nationes mortis causa. *§. 1. Inst. de donat. l. qui mortis. 30. ff. de mort. caus. donat. l. sed si. 13. ff. de donat. inter vir. & ux. 3. Codicilli. l. 3. C. de codic. l. confirmatur. 8. in fin. ff. eod.*

## XXIII.

Delibatis jam extrajudicialibus negotiis, trans-  
eundum nobis est ad actus spectantes ad iudicium & *Inter actus  
judiciales est*  
processum. Inter illos occurrit. 1. Libellus, de quo *1.*  
inter Dd. admodum controvertitur, an & quatenus de *Libellus;*  
jure civili poenitendo corrigi possit? Communis In-  
terpretum sententia est, quod libellus post litem con-  
testatam in accidentalibus quidem emendari, in essen-  
tialibus vero mutari nequeat. *per l. non potest. 23. ff. de  
judic. & l. ut fundus. 18. comm. divid.* Verum juris tex-  
tibus magis convenire videtur illorum opinio, qui sta-  
tuunt, actori juse esse libellum emendandi vel mutandi  
non solum ante, sed & post litem contestatam usque ad  
sententiam. *arg. §. si quis. 35. Inst. de act. l. in delictis. 4. §.  
ult. ff. de nox. act. l. cum fundam. 28. §. fin. ff. de vi & vi  
armat. modò. 1. viatica & sumptus prioris litis refun-  
dantur. arg. l. eum qui. 79 ff. de jud. ac. 2. reo spatium de-  
tur ad deliberandum; id enim edicti perpetui monet au-  
ctoritas, & jus reddentis decernit aequitas. l. 3. C. de edend.*

## XXIV.

2. Productio testium. Ubi quaeritur, an & qua- *2.*  
*Productio  
testium;*  
tenus *C 3*

tenus is, qui testes ad examinandum semel produxit, eosdem per pœnitentiam revocare queat? & videtur ita distinguendum: aut testes realiter & reverà sunt producti, solennique juramento obstricti; aut saltem in schedulâ & verbaliter absentes tanquam præsentes sunt evocati. Priori casu non est pœnitentiæ locus: quia tunc testes alteri parti communes facti censentur. Posteriori omninò; quòd nulla productio verè sit facta; neque aliquod jus alteri exinde quæsitum. Veluti ita in supremo parlamento Dresdensi 29. Nov. 1610. in causa Hannsen Heinrichen und Wolff Friderichen von Lüttichaw actorum ex una, & Melchioris von Miltzow Eheweib reæ ex alterâ parte fuit judicatum, daß Klägern seine angegebene Zeugen / so viel derselben nicht verendet / ungeachtet solche absentes tanquam præsentes fürgestellt / fallen zu lassen unbenommen. *B. N. W. Matth. Berlich. part. 1. concl. 38. n. 50.*

XXV.

3.  
Sententia;

3. Sententia; quæ semel prolata pœnitendo retractari non potest. *tot. tit. C. sent. resc. non poss. l. quod jussit. 14. ff. de re jud. l. 2. C. de sent. ex peric. rec. l. 3. C. comminat. l. Divi. 27. pr. ff. de pœn. ne quidem eodem adhuc die. l. cum querebatur. 62. ff. de re jud. propterea quod judex cum ipsâ sententiâ jurisdictionem omnem exuit, & statim ubi semel officio suo perfunctus est, in eâ causâ judex esse desinit. l. judex. 55. ff. de re jud. fac. l. 1. §. 2. in fin. ff. de usur. non tantùm propter autoritatem rei judicatæ. l. servo. 65. ff. ad Sc. Treb. sed & propter Jus victrici parti pronunciatâ sententiâ quæsitum: quod tamen solùm procedit in sententia definitiva. Nam de merè interlocutoriâ non est dubium, quin illa possit mutari*



mutari & tolli contrario imperio vel jussu. *l. quod jussit.*  
*14. ff. de re jud. l. post sententiam. 9. vers. nam nec. C. de sent.*  
*& inter l. cap. cum cessante. 60. X. de appell.*

## XXVI.

4. Appellatio. Quâ interpositâ appellantem licet  
 etiâ invitâ parte alterâ poenitere, & appellatorios quos  
 obtulit libellos, non quidē jure canonico per *cap. quam-*  
*vis. 10. de elect. & elect. potest. in 6.* sed civili, revocare  
 potest. *l. si quis. 28. C. de appellat.* nisi fortè appellati in-  
 teresse cœpit, & communis facta est. *l. ampliorem. 39.*  
*pr. C. de appell. & conf. l. omnem. 10. C. quand. prov. non*  
*est necess.* quod fit, quando adversarius sententiam à  
 giudice prolatam non approbat; wenn er dazu stillschwei-  
 get/ und der Urtheil halben sich nicht bedanket. Hoc enim  
 si facit, ipse appellatus interpositæ appellationi super  
 ea capita, à quibus appellatum, ita incumbere potest,  
 ut sententia in principali causâ lata ab appellationis ju-  
 dice in suum favorem emendetur, & si quid minus di-  
 ctum fit, suppleatur.

4.  
Apellatio.

## XXVII.

Tantum de causâ materiali objectiva; quam *Causa for-*  
 ordine nunc excipit causâ formalis. Forma igitur, per *malis.*  
 quam poenitentia ab aliis actibus voluntatis, nimirum,  
 revocatione, dissensu & rati habitione secernitur, con-  
 sistit in spontaneâ prioris voluntatis immutatione,  
 seu libera retractatione ejus, quod antea sic fuit gestum,  
 ut ex eo alter nullum jus fueris consequutus. De causâ *Causa fina-*  
 finali non est cur multum dicamus, cum ex superiori- *lis.*  
 bus satis constet, quod finis poenitentia sit actus prioris  
 rescissio, & indemnitas poenitentis.

## XXVIII.

XXVIII.


*Effectus.*

*Affinia.*

*Contraria.*

Perductâ ad finem causarum serie , recto ordine sequitur , ut , quisnam pœnitentiæ sit effectus , paucis dispiciamus. Quando igitur pœnitentia legitimo modo interposita est , hunc effectum præprimis gignit , quod prius negotium tollatur , non quidem ut factum fiat infectum , hoc enim nullâ constitutione effici potest. *l. in bello. 12. §. 2. in pr. ff. de captiv. sed tantum , ut actus prioris vires , quas aliàs exereret , à jure incidantur , & causa per pœnitentiam ad pristinum statum reducatur , quasi actus ille nunquam contigisset. cap. cessante. 60. X. de appell. Tempestivum jam esset tractare affinia pœnitentiæ , verum quia & hæc ex dictis aliquatenus colligi possunt , brevitatis causâ eorum expositionem hæc vice mittimus , & tandem circa pœnitentiæ jam constitutæ contraria observamus , quòd ea sint in genere omnia , quæ ex post facto pœnitentiam resolvunt & impediunt , quo minus ipsa juris effectum sortiri possit. *l. si mandem. 15. ff. mand. l. si pecuniam. 5. pr. ff. de cond. caus. dat. cap. super hoc. 5. X. de renunciat. junct. c. 3. in fin. eod. cap. per tuas. 10. X. de probat. Tantum de hac materiâ obiter , pro ejus amplitudine exiguum , pro ratione institui satis.**

S. D. G.



**N**on est Sapientis volitare & hinc & inde  
 Ac mente levi dicere : *Non quidem putarant.*  
 At sæpe tamen quis sapientiùs priores  
 Mutare solet consilii vias. Id ipsum  
 Tu, chare DRAING, hæcce doces Inaugurali.  
 Utrumque probas; Et *Benè pœnitere rarum est:*  
*Contra quoque verum: Malè pœnitere, durum est.*

*Nobilissimo DN. CANDIDATO,*  
*de Pœnitentiâ Inauguraliter disputanti,*  
*Commensali honoratiss.*  
*ex animo gralulatur*  
**Gerardus von Stöcken / V. J. D. & Instit.**  
**Imperialium P. P.**





ULB Halle  
004 395 050

3




2. T. Verknüpfung

V017





3216



B. V. *23. 4*

JURIDICA  
 RALIS *1677, 3.*

ENTIA,  
 M  
 mente Gratiã  
*Auctoritate*  
 ET AMPLIS-  
 CONSULTORUM  
 NIS  
 ENTORATENSIVM  
 TATE  
 ENTIA  
*Honores & Privilegia  
 ritè consequendi  
 n Disquisitioni  
 R exhibet  
 NG, Hamburg.  
 C. Januar.  
 uetis.*

ORATI,  
 HELMI TIDEMANNI.  
 C LXXI.

